DE NOMOTHETARUM TRIBUNALI IN ATHENIENSIUM CIVITATE.

Retractare lubet nonnulla eorum quae explicui in IV[to] Volumine *Scholicorum Hypomnematum*, ubi disputabam *de instituto legum emendandarum apud Athenienses.* Nam, quum ante hos quinque annos ea conscribebam et typographo tradebam (prodiit autem libellus sequenti demum anno), nec dum huc perlatum erat Volumen primum Dissertationum Academiae Scientiarum Saxoniensis, et eo usque carebam exemplo praestantissimi operis quo GROTIUS, Britannus, Graeciae Historiam exponere aggressus erat. Quos libros si ante mihi usurpare licuisset, aliquanto melius difficillimas controversias disceptare potuissem. Sed omnis mihi tunc disputatio erat cum iis, quorum libros cognoveram, a quibus si qua in re dissentirem expositis rationibus opinionem meam defendebam. Aliquanto post KAYSERUS, Heidelbergensis, vir et doctrina et humanitate praestantissimus, suum ad me iudicium de libello meo misit, ex Annalibus Heidelbergensibus. In controversia de Nomothetis vidi tum nonnulla esse quae perperam a me demonstrata esse contenderet; sed in primis dolere eum, quod WESTERMANNI Disputatio, qui ostendisset celebratam illam *ἐπιχειροτονίαν νόμων*, in DEMOSTHENIS *Timocratea*, fictam et subdititiam esse, mihi non innotuisset. Statim intelligebam, si verum attigisset WESTERMANNUS, haud pauca fore quae in mea argumentatione essent mutanda et corrigenda: nec tamen, sicut oportebat, tum benevolae admonitioni obtemperavi: aliae me curae dein-

ceps tenuerunt, in quibus ipse mihi quaererem oblectationem utilemque animi agitationem, neque ita moleste ferebam esse qui melius docerent quod ego attigissem, ut continuo retexere quae absolvissem necesse videretur. Nuper demum ex hac vel negligentia vel socordia excitatus sum. Venit ad me unus ex familiaribus meis, afferens *Schoemanni Animadversiones de Nomothetis Atheniensium*, de quibus ne fando quidem audiveram. Perlegi statim libellum, itaque ab eo discessi, ut quod antea sensissem de SCHOEMANNO nunc quidem ex animo meo non eximeretur. Narrat se ista »brevissimo tempore operaque" conscripsisse, quum »reversus esset ex itinere quod valetudinis »causa suscepisset, multisque rebus districtus esset." Spero eum firmata corporis valetudine domum rediisse: sed vix credas animi quoque medicinam ab eo quaesitam esse, quae attulisset modestiam, nec sivisset ira studioque iudicii aciem praestringi. Neque enim omnis humanitatis expertem esse SCHOEMANNUM, et subinde pulcre servare id quod deceat, quod cum ipso honesto coniunctum est, dudum mihi constiterat. Quo loco operae pretium est excitare eius disputationem in Quarto libro *De Lite Attica*.

Docuerat BOECKHIUS, in prima praestantissimi libri editione, in quibusdam causis publicis licuisse tribunali eiusdem poenae condemnare actorem, cuius hic reum aestimavisset, siculi Aristogiton, quum in causa *παρανόμων* contra Sacerdotem Dianae Brauroniae inferior decessisset, ipse solvere mulctam quinque talentorum debuerit, quam reo posuisset [1]. Quam inauditam doctrinam quum tueretur auctoritate loci Dinarchei [2], satis mirari, simulatque legebam, non potui istam interpretandi ra-

---

1) *Staathausk. der Athener*, I. p. 410. Ed. 1e. »Endlich scheint in gewis»sen Fällen das Gericht befugt gewesen zu sein, den Kläger in dieselbe Schät»zung zu verurtheilen, welche er dem Beklagten gesetzt hatte, wie Aristogei»ton beim Verlust einer Klage über Gesetzwidrigkeit gegen die Priesterin der »Brauronischen Artemis die Schätzung von fünf Talenten bezahlen musste, »welche er der Beklagten gestellt hatte. (DINARCH. *Aristogit.* p. 82.)

2) DINARCHI verba haec sunt: *Οὐκ Ἀριςογείτων ἐςὶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὁ κατὰ τῆς ἱερείας τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Βραυρωνίας καὶ τῶν οἰκείων αὐτῆς τοιαῦτα γράψας καὶ ψευσάμενος, ὥσθ' ὑμᾶς, ἐπειδὴ τὴν ἀλήθειαν ἐπύθεσθε παρὰ τῶν κατηγόρων, πέντε ταλάντων τιμῆσαι τούτου, ὅσονπερ ἦν ἐπὶ τῇ τῶν παρανόμων γραφῇ ἐπιγεγραμμένον.*

tionem, in qua quum verbum γράφειν, quod non nisi de psephismatis auctore dicitur, sic explicaretur quasi esset γράφεσθαι, quod de publicae causae actore dicitur, prorsus incredibilia alia orta sunt. Quid SCHOEMANNUS, qui aliquot annis post utilissimam illam disputationem edidit quae Quarto libro de Lite Attica exponitur? Involavitne in BOECKHIUM? exprobravitne ei turpem errorem? triumphavitne de magistro ut eius minueret auctoritatem praeclarissimis partam inventis? Nihil minus. Reticere peccatum non poterat in tanta et scriptoris et libri fama et opinione; sed primum BOECKHII nomen omittit, tum modeste παρεξήγησιν appellat, subiicitque accuratam loci Dinarchei explicationem [3]. Haec admonitio plena illa benevolentiae et officii latere non poterat BOECKHIUM, qui ipse fuisset in eorum numero quibus Academia Berolinensis iudicium de MEIERI et SCHOEMANNI doctissimo libro commisisset. Itaque in altera Oeconomiae Civilis editione candide agnoscit meliora se doctum esse a SCHOEMANNO, totumque illum locum abiicit [4]. Sic ab utroque satisfactum est ei, quod bonos viros decet. Utrum idem officium in aliis servaverit SCHOEMANNUS, an subinde ita conviciari soleat ut exanimatus et mente conturbatus ad scribendum se accinxisse videatur, et evomere potius ὅ τι τύχῃ, quam sedate considerare quae scribat, nemo nunc dubitabit. Sed mittamus eum paullisper, deque egregia WESTERMANNI dis-

---

3) *Der Attische Process*, p. 437. »Man glaubt ferner in der Rede des Di»narch gegen Aristogiton den Beweis zu finden, dass bisweilen die Richter »befugt gewesen seien, den Kläger in dieselbe Schätzung zu verurtheilen, wel»che er den Beklagten gesetzt hatte. Aber man misversteht die Stelle des »Dinarch, die wir zum Beweise hersetzen wollen: οὐκ Ἀριστογείτων κτἑ. — »Hier sollte Aristogiton der Kläger gewesen sein, die Priesterinn der Artemis »die Beklagte? Zu geschweigen, dass eine γραφὴ παρανόμων gegen eine »Frau undenkbar ist, so zeigen ja die Worte: ἐπειδὴ τὴν ἀλήθειαν ἐπύθεσθε »παρὰ κατηγόρων deutlich genug, dass Aristogiton Beklagter gewesen sei. »Es ist nicht zu bezweifeln, das Aristogiton irgend ein Psephisma in Bezie»hung auf die Priesterinn der Artemis in Vorschlag gebracht hatte, wegen »dessen er dann durch die γραφὴ παρανόμων belangt wurde. Auf dieses »Psephisma beziehen sich die Worte: τοιαῦτα γράψας καὶ ψευσάμενος. Die »Kläger bewiesen nun den Richtern, dass jenes Psephisma lügenhaft und »strafwürdig sei, und bewirkten dadurch, dass er in die Busse verurtheilt »wurde, die sie ihm gesetzt hatten."

4) I. p. 501. not. a.

putatione videamus, quam sane vellem consulere potuissem, quum mea de Nomothetis conscriberem.

Genus disputandi in quo versatus est WESTERMANNUS, hoc est, ut in singulis documentis, quae hodie prostant interposita in DEMOSTHENIS actionibus, disceptatio instituatur, utrum vera an ficta sint, ita ut, ficta si esse appareat, magna pars praesidiorum corruat, quibus hucusque viri docti suam de Atheniensium civitatis disciplina sententiam tueri soliti sint. Quam opportuna et accepta mihi illa disputatio esset haud attinet commemorare: ipse semel iterumque eandem considerandi viam tentaveram, veluti in lege *ὕβρεως*, apud AESCHINEM [5], et in Tisameni psephismate apud ANDOCIDEM [6]. WESTERMANNUM si dixero diligentissime et prudentissime demonstrasse in hac prima dissertatione inscite fictam esse nobilem illam *ἐπιχειροτονίαν νόμων*, in DEMOSTHENIS *Timocratea* [7], necessario consequitur et nonnulla quae in isto documento notassem frustra fuisse [8], et complura quae non nisi ista auctoritate defendissem abiicienda esse.

De legis praescripto cuius sententiam exponit AESCHINES in *Ctesiphontea* [9] ita sentit WESTERMANNUS, non eam opponi veteri legi, cuius toties in DEMOSTHENIS *Leptinea* et *Timocratea* mentio fiat, sed illam legem recentiorem esse additamque fuisse veteri, ita ut non constitueret totum negotium, sed peculiari generi prospiceret. Quid mihi de isto AESCHINIS loco videretur, explicui in hanc sententiam, ut ipse quoque segregarem istud Thesmothetarum officium a novarum legum ferendarum disciplina [10]. Perperam tamen dixi ista, *ἐπιγράψαντας νομοθέτας*, corrupta esse: contra nunc vix intelligo quo nomine Thesmothetis imponatur *διορθοῦν τοὺς νόμους ἐν τῷ δήμῳ*, quum neque ipsorum valeret auctoritas in populi concione, neque populo in concione, sed Nomothetarum tribunali controversia dirimenda permitteretur. In eo quoque dissentio a WESTERMANNO, quod illam, quam AESCHINES excitat disciplinam, recen-

---

5) In Epist. ad Hermannum p. 46 sqq.
6) *Scholic. Hypomn.* IV. p. 13 sqq.
7) p. 706. § 20—23.
8) p. 29 sq. 9) § 38. 10) p. 46 sqq.

tiorem esse dicit altera illa; quippe AESCHINES hoc praescriptum tribuit ipsi τῷ νομοθέτῃ τῷ τὴν δημοκρατίαν καταςήσαντι. Hinc suspicari licet multo ante potius iam viguisse illam Thesmothetarum disciplinam, eoque pertinere locum *Leptineae*[11], quem attigi[12], et post demum, crescente oratorum et τῶν πολιτευομένων libidine et audacia, quum potestatem, quae ante non nisi Thesmothetarum fuisset, alii quoque sibi vindicarent, nova lege prospectum fuisse ne quid in tanta re turbaretur, utque certa προστάγματα temeritati et licentiae opponerentur. Certe non negligendum hoc est, apud DEMOSTHENEM τὴν τῶν νόμων δοκιμασίαν opponi τῇ τῶν θεσμοθετῶν δοκιμασίᾳ, quam contentionem temere instituisset, si nullae antiquitus in illo negotio partes Thesmothetarum fuissent.

Prudenti instituto WESTERMANNUS deinceps enumerat omnia de quibus ex ipsius Oratoris verbis constet argumentum eius legis, quae legum ferendarum modum et normam praescripserit. Tum subiicit diligentem explorationem interpositae illius ἐπιχειροτονίας νόμων. Perperam hanc legem Soloni tribui ab Oratore, iisdem conficit argumentis quibus ipse usus sum[13]: concedit tamen fundamentum ipsum et mentem in Solonis legislatione quaerendam esse, neque repugno; formam autem deberi temporibus restitutae democratiae, Ol. 94, 2. Postrema haec coniectura est, cui tamen nihil video quare mea coniectura cedat necesse sit, quum[14] videri mihi dicerem initium factum illius disciplinae sublatis Quadringentis, et tamen concederem[15] post Euclidem demum accuratissimas illas sanctiones, quarum auctoritate Oratoris demonstratio nititur, fuisse inventas.

Singulae disputationes autem, quibus evincere studet WESTERMANNUS illam ἐπιχειροτονίαν νόμων confictam esse, eiusmodi sunt, ut vix quidquam in iis reprehendendum videatur. Itaque et alii, credo, abiicient nunc interpretandi rationem quam hucusque in singulis tentaverant, et ipse lubenter desero meam interpretationem verborum κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους[16].

---

11) p. 484. § 90 sqq. 12) p. 18. 13) p. 29.
14) p. 3. 15) p. 32. 16) p. 34 sq.

Exiguum restat, de quo minus mihi conveniat cum viro praestantissimo. Quum enim sine controversia maneat hoc, Nomothetas fuisse *ἐκ τῶν ὀμωμοκότων*, et BOECKHIUS pridem statuisset, intelligendos hos esse qui iudices fuissent, SCHOEMANNUS autem fuisse ex iis, qui eo ipso anno iudices essent (in quam sententiam BOECKHIUS ipse postea concessit)[17], postremam sententiam unice probari sibi dicit. Mihi quare neutra probetur, uberiorem exspectat disputationem quam ut eam nunc persequar: etenim abiiciendam puto doctorum virorum doctrinam quum tenent quotannis certum quoddam corpus heliastarum designari solitum fuisse, quod sex mille iudicibus constaret.

Minime negligenda est alia demonstratio WESTERMANNI, qua, ut mihi videtur, plane obtinet Leptineam causam apud Nomothetas disceptatam fuisse, quum ipse antea[18] et alii apud Heliaeam putavissemus: tum simul apparet non Proedros, ut erat in fictis illis legum formulis, sed Thesmothetas his iudiciis, velut tribunalibus, praefuisse et iudices in suffragia misisse. Praeclare porro suspicatur WESTERMANNUS[19] paullatim severissimam legis, qua *νομοθεσία* regeretur, praeceptionem fuisse neglectam, et ex ambitione prodiisse identidem abusum. Neque vel Leptinem, vel Timocratem primum fuisse qui legis normam negligeret, manifesto conficitur e notissimo *Leptineae* loco[20], in quo explicando ipse antea erravi[21], nunc eundem sic interpretor, ut verba *τοῖς μὲν ὑπάρχουσι νόμοις ἐχρῶντο, καινοὺς δ' οὐκ ἐτίθεσαν* nihil aliud indicare dicam, nisi hoc, antiquitus istam novarum legum ferendarum disciplinam servatam fuisse, neque quidquam in eodem negotio esse novatum, sed postea nonnullorum potentiam eo valuisse, ut quocumque libuisset tempore leges ferrent; unde ortam esse legum turbam, et subinde vanitatem, quum tanta temeritate continuo novae ferrentur, adeo ut iure eas *κενωτέρους*[22] *τῶν ψηφισμάτων* esse dicat Orator. Quum igitur pleraque negligerentur, hoc tamen servatum perpetuo esse ipsa causa Timocratea do-

---

17) *Staatshaush.* I. p. 338 init. Ed. 2e. 18) p. 52 sqq.
19) p. 51 fin. sqq. 20) p. 484. § 91. 21) p. 18.
22) Quemadmodum corrigendum dixi p. 65.

cet, ut nova lex ferretur et disceptaretur non in populi concione, sed apud Nomothetas, quibus istud munus concio peculiari suffragio mandasset, siquidem Epicratis psephisma ipsum hoc continebat, ut crastino die Nomothetae sederent pronunciaturi de nova, quae ferenda esset, lege [23]. Sed propter illud Timocratis exemplum, vix concedo WESTERMANNO (p. 7.) suspicanti Leptinem suam legem non in Nomothetis, sed in populi concione pertulisse. Plane omissos umquam fuisse Nomothetas coniicere minus licet, propter ea quae DEMOSTHENES loquitur in *Timocratea* (§ 37.): *τίς οὖν μόνη φυλακὴ καὶ δικαία καὶ βέβαιος τῶν νόμων; ὑμεῖς οἱ πολλοί· οὔτε γὰρ τὸ γνῶναι καὶ δοκιμάσαι τὸ βέλτιςον ἐξελέσθαι δύναιτ' ἂν ἡμῶν οὐδὲ εἷς.*

Hoc quoque dedita opera refutat WESTERMANNUS [24], quod plerique auctoritate supposititii documenti crediderunt, et ipse tenebam [25], Proedros praefuisse Nomothetis qui eos in suffragia mitterent (*διαχειροτονίαν ποιεῖν*). Sed, quum aliis argumentis plane ostendat, legis formulam illam in *Timocratea* [26] confictam esse, minus tamen ei concedo ubi locutiones *διαχειροτονίαν ποιεῖν*, et *χειροτονεῖν* perperam de Nomothetarum collegio usurpari dicit, in quo requiratur tum *ψῆφον διδόναι*, tum *ψηφίζεσθαι*. Primum, ipse Orator haec verba usurpat de legis sententia [27], *πρῶτον μὲν ἐφ' ὑμῖν ἐποίησαν διαχειροτονίαν πότερον εἰσοιςέος ἐςὶ νόμος καινὸς ἢ δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ κείμενοι· μετὰ ταῦτα δ' ἂν χειροτονήσητε εἰσφέρειν κτέ.* Attingunt haec quidem populi in concione decretum, sicuti crebro in eadem re et *χειροτονεῖν*, et *ἀποχειροτονεῖν*, et *διαχειροτονεῖν* usurpantur: sed suspicor eadem dici potuisse in ea lege, cuius nunc non nisi fictam formulam habemus, in tribunali Nomothetarum, propterea quod, antequam ista libido novarum legum ferendarum invaluisset, *γραφαὶ παρανόμων* eiusmodi fuisse videntur, ut iis lex ipsa peteretur, nihilque decernendum relictum fuisse nisi ut optarent, iuberentne novam, an servarent veterem legem cui illa opposita esset, id quod Orator ex illa veteri disciplina sic commemorat, *γράφεσθαι μὲν ἄν τις τινα τῶν ὑπαρχόντων νό-*

---

23) *Timocrat.* p. 709. § 28. *αὐτὸς ἔγραψεν αὔριον νομοθετεῖν.*
24) p. 55 sq. 25) p. 30 et 41. 26) p. 710. § 33.
27) *Timocrat.* p. 707. § 25.

μων μὴ καλῶς ἔχειν ἡγῆται, παρεισφέρειν δ' αὐτὸν ἄλλον, ὃν ἂν τιθῇ λύων ἐκεῖνον, ὑμᾶς δ' ἀκούσαντας ἑλέσθαι τὸν κρείττω[28]. Describitur, inquam, istis vetus norma illorum iudiciorum, quum non de latore legis novae ipso pronunciandum esset, qui vel absolveretur vel condemnaretur (*ἀποψηφίσασθαι*, et *καταψηφίσασθαι*), sed e duabus legibus esset optandum: in qua optione, ubi reus nullus esset, et *χειροτονεῖν* et *διαχειροτονεῖν* apte mihi dici videntur. In simili optione videmus apud XENOPHONTEM, in concione sane, sed in ea, quae in causa Praetorum apud Arginusas tribunalis potestate abuteretur, *διαψηφίσασθαι*, et *διαχειροτονεῖν* inter se permutari[29]. Nam si diligenter consideramus ea, quae apud Oratorem de veteri legislatione explicantur[30], nemo, ut puto, dubitabit quin hoc unum prospexerit ista disciplina, ne de eadem re duae contrariae leges valerent. Hinc intelligitur, in illo iudicio, quamquam qui novam legem ferret diceretur *γράφεσθαι, ἄν τινα τῶν ὑπαρχόντων νόμων μὴ καλῶς ἔχειν ἡγῆται*[31], non tamen ipsum suo id periculo fecisse, sed non nisi de legibus ferenda suffragia fuisse: itaque non veteris legis latori, sed legi ipsi creabantur vel *σύνδικοι*, vel *συνήγοροι*[32]. Crebro sane in hoc ipso legis iudicio usurpatur et *ψῆφον φέρειν*, et *καταψηφίσασθαι τοῦ νόμου*, et *ἀποψηφίσασθαι*[33]: sed dicuntur ista in similitudine iudiciorum, quorum propria sunt; quamquam recte SCHOEMANNUS[34] docuit non semper accurate distinctam verborum significationem esse apud scriptores. Quod si huius viri docti probare necesse est doctrinam, in iudiciis semper *ψηφίζεσθαι*, numquam *χειροτονεῖν* dici, equidem defendo hoc, vetus illud Nomothetarum institutum a veri iudicii definitione segregandum esse, quippe tum nemo erat qui

---

28) *Leptin.* p. 484. § 89.

29) *Hellen.* I. 7. 7. *ὀψὲ ἦν, καὶ τὰς χεῖρας οὐκ ἂν καθεώρων.* — § 9. *διαψηφίσασθαι Ἀθηναίους — ὅτῳ δοκοῦσιν — ὅτῳ μή.* — § 34. *τούτων διαχειροτονουμένων — καὶ πάλιν διαχειροτονίας γενομένης ἔκριναν τὴν τῆς βουλῆς (γνώμην) καὶ μετὰ ταῦτα κατεψηφίσαντο τῶν στρατηγῶν.*

30) *Leptin.* § 89 sq. *Timocrat.* § 34—37.

31) *Leptin.* § 89. 96.

32) *Leptin.* § 146. *Timocrat.* § 36.

33) Veluti *Leptin.* § 49. 99. 159. 163 sq. 166 sq. 218.

34) *Comitt. Athen.* p. 122 sq.

ipse ab actore in ius vocatus esset, nemo cui poena aestimanda esset, tantum utra lex melior esset *κρῖναι* oportebat iudices [35]. Sed simplex illa ratio, quae DEMOSTHENIS aetate diu deserta fuisse videtur, ita ut eius memoriam apud iudices instaurari necesse esset [36], recte, ut mea opinio est, ferebat hoc, ut in illa legis optione iudices s. Nomothetae dicerentur *νόμον χειροτονεῖν*, sicut est in ea lege, quam recte aliis rationibus motus fictam esse demonstrat WESTERMANNUS. Contra, quum paullatim studium istud legum novandarum, magna cum pernicie rei publicae, in licentiam crevisset, necesse fuit eam alio genere iudiciorum coerceri, quae proprie *παρανόμων* essent, in quibus et actor suo periculo ageret [37], et rei castigationem peteret, sicuti petit DEMOSTHENES in Timocratem [38]. Haec demum veri nominis iudicia erant, et *ἀγῶνες τιμητοί*, et tamen, quoniam de lege lata utrum *κύριος* maneret, an *λύεσθαι* oporteret pronunciaretur, revera Nomothetae erant in quibus eae disceptationes agitarentur, atque in his iudiciis consentaneum est ut qui suffragium ferunt non *χειροτονεῖν*, sed *ψηφίζεσθαι* dicantur. Quumque compositum *καταχειροτονεῖν θάνατον* usurpari ipse SCHOEMANNUS [39] concederet, nulla causa erat cur verbum ipsum ita simpliciter ex hoc Nomothetarum negotio excluderetur.

Ceterum recte iudicat WESTERMANNUS [40] nullam peculiarem legem cogitari posse, quae tum *παρανόμων γραφήν* concederet, si actor contenderet legem, quam aggrederetur, *οὐκ ἐπιτήδειον* esse. Quemadmodum enim alia certis legum formulis praescripta erant quae in nova lege ferenda essent servanda, veluti *μηδὲ νόμον ἐξεῖναι ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι*, difficile est probare hoc, ut certa lege praescripta fuerit *ἐπιτηδειότης* quaedam novae legis quam quis ferret; ne necesse quidem erat; siquidem, praeter ea quae in forma ferendi reprehendi possent, vix reperiri poterat aliud ar-

---

35) *Timocrat.* § 189.

36) Quare in *Leptin.* § 89 dicit, *τούτων πάντων οὐδέν ἐστι καινὸν οὐδ' ἡμέτερον εὕρημα, ἀλλ' ὁ παλαιὸς — νόμος κελεύει.*

37) *Timocrat.* § 3. *ἐμοὶ δ' ἐν χιλίαις ὑπὲρ ὑμῶν ὁ κίνδυνος.*

38) vid. § 101. 204. 218.

39) l. c. p. 124. ubi tamen perperam utitur loco *Midianae* p. 583. § 214, si quidem istic *ἀποχειροτονεῖν* non de iudicio, sed de populo dicitur.

40) p. 60.

gumentum quo nova lex impugnaretur nisi hoc, ferre ea latorem, δι' ὧν βλάπτει τὴν πόλιν, sicut loquitur DEMOSTHENES in *Timocratea*[41], hac et similibus locutionibus ostendens legitimam criminis appellationem nullam fuisse.

Itaque iure quum demonstraverit WESTERMANNUS, praeter illam ἐπιχειροτονίαν νόμων, reliqua quoque quae in *Timocratea* interponuntur, veluti Timocratis psephisma[42], et leges complures, supposititia esse, apparet quam multa esse necesse sit, quae auferantur iis, qui istis praesidiis usi disciplinam illam civitatis Atheniensium explicare studuerant. Quo magis doleo non pervenisse ad me praeclaram disputationem, neque quidquam mihi de ea innotuisse, antequam mea in quarto volumine *Scholicorum Hypomnematum* conscriberem. SCHOEMANNO, qui in illis *Animadversionibus*[43] simulatae me ignorantiae arguit, neque operae pretium est respondere, et facile iis ignoscere soleo, qui in scribendo declarant quam perturbato et paene furenti animo utantur. Sed antequam ea explorem quae in mea disputatione SCHOEMANNUS exagitat potius quam reprehendit, videamus quid GROTIUS in *Historia Graeca* attulerit, quod cum hoc argumento et controversia coniunctum sit, in primis in Parte II, Cap. XLVI[44]. Video nunc a SCHOEMANNO commemorari suum de GROTII doctrina tractatum et iudicium, quod biennio abhinc ediderit, et suspicor praecipue egisse eum de iis quae illo Cap. XLVI continentur, quaeque cernuntur in explicanda mutata rei publicae et iudiciorum disciplina, quam Periclea aetas attulerit[45]: nec miror gloriari eum, quod eius errores refutaverit. Quod postremum cuius momenti sit, tum existimare potero, si librum videro. De hoc iam nunc mihi convenit cum SCHOE-

41) § 108. ita § 92. λυμαίνεσθαι καὶ διαφθείρειν. et § 210.

42) § 27.

43) p. 9. not. 5. »Bakius hanc (Westermanni Commentationem) nusquam »memorat, licet biennio ante eius Hypomnematum Vol. IV. editam, neque ma»gis Grotii historiam Graecam etiam prius publicatam. Quid igitur? Non no»rat hos libros, an dissimulavit a se lectos esse, quo magis omnia *sua* dicere »videretur?"

44) Vol. V. p. 502 sqq. Utor Ed. 2ª cuius hoc volumen prodiit a. 1851.

45) *Die Verfassungsgeschichte Athen's nach G. Grote's History of Greece, kritisch geprüft von* G. F. SCHOEMANN. Leipz. 1854.

MANNO, doctum virum et acutum esse GROTIUM; sed praeterea affirmo eum modestum esse et plenum humanitatis, tum ea prudentia in causis rerum indagandis eximie valere, quam crebro in doctissimorum virorum voluminibus desideramus.

Et, quandoquidem Nomothetarum institutum in primis cum legum custodia coniunctum erat, non alienum erit hanc GROTII opinionem commemorare, quum, PHILOCHORI apud PHOTIUM auctoritate, Nomophylaces Athenis institutos ab Ephialte tradit [46]. Nondum mihi persuadetur; teneoque eam sententiam, quam explicui ante quadriennium [47]. Ubi autem statim post [48] agit de Nomothetarum origine et constitutione, quam verisimile sit Pericli deberi, requiro rationes quibus illa opinio nitatur. Si enim hoc sumere licet, Nomothetarum potestatem eo consilio creatam videri, vel ut populari levitati in novandis legibus frenum quoddam imponeretur, vel ut legum turba aut discordia minueretur, imminuebatur certe ita populi in concione imperium: Periclis contra, sicuti constat, pleraque consilia hoc spectaverunt, superata in primis paucorum et nobilium potentia, ut quam plurimum populo, id est multitudini committeretur. Nihil sane nobis traditum est unde conficere liceat quam rationem secutus sit, verbi causa, in perferenda lege de nothis, quam postea adeo abrogavit. Itaque, si coniecturae locus est, fieri posse concedendum est ut fundamentum eius disciplinae et mens ipsa in Solonis institutis quaerenda sit: sed nihil video cur abiiciam eam suspicionem, quam ante prodidi, post Quadringentos demum sublatos diligentiorem illam descriptionem legum corrigendarum et novandarum introductam esse, per quam, restituto populari imperio, tamen obviam iretur demagogorum audaciae et temeritati, quorum vitiorum perniciem inde a Cleone sensisset res publica: neque facile, credo, negari poterit huic suspicioni in primis convenire Tisameni psephisma, cuius formula ficta esse potest, sed vix dubitare licet de argumento. Ne hoc quidem spernendum est, si Nomothetae iam ante cogniti fuissent, nihil causae fuisse THUCYDIDI cur eos nominatim

---

46) p. 502 sq.
47) *Scholic. Hypomn.* IV. p. 277 sqq.
48) p. 504 sq.

appellaret, de reliquis veteris democratiae institutis tacens[49].

De numero sex mille heliastarum, qui quotannis designarentur et iureiurando obstringerentur, sequitur GROTIUS receptam sententiam, quam minus mihi probari supra dixi. Sed in hoc quoque dissentio ab eo, quum *γραφὰς παρανόμων* a Pericle inventas esse dicit[50]: tum non probare possum hoc, si eiusdem generis actionem putat esse qua quis apud Nomothetas novam latam legem aggrederetur, cum ea quae latorem in ius vocaret. Disputavi ipse de hac actione[51], sed ita ut ea mihi nunc minus satisfaciant. Certa quum nusquam tradantur, quaerendum sane est quid rerum cognitarum analogia et ferat et postulet. Itaque nondum plane absurdum mihi illud esse videtur, quod antea suspicabar[52], denunciationem futurae *γραφῆς παρανόμων* alienam fuisse a tribunali Nomothetarum: multoque minus existimo ipsam eiusmodi *γραφήν* ad Thesmothetas, qui eam Nomothetis diiudicandam traderent, deferri potuisse. Unum genus *γραφῶν* ad illos Thesmothetas deferebatur, quae condemnarent veterem quamdam legem, nova substituenda[53]: itaque vix credibile est ad eosdem aliam quoque *γραφήν*, qua in primis ipse lator novae legis peteretur, potuisse deferri; quum praesertim latio illa ipsa tamquam auctoritate et suffragatione populi in concione, in qua ante recitata fuisset, muniretur et commendaretur, neque quidquam relinqueretur Nomothetis nisi *ἑλέσθαι τὸν κρείττω*, nihil de ipso latore, cuius in illo quidem iudicio nullum versabatur periculum. Quae igitur in Nomothetis alia disceptatio cogitari potest, praeterquam inter ipsum latorem novae legis et eos, qui publice creati defensores essent veteris legis? Ego nullam fuisse suspicor. Minus etiam rationi consentaneum est, si quis putet *γραφὴν παρανόμων* vel ante Nomothetarum consessum, vel in ipso illo tribunali ita potuisse denuntiari, ut legem novam eo ipso perferri prohiberet. Satius fuisset totum illud prudentissimum et severissimum institutum tollere, quam ab unius hominis libidine

49) Fugisse hoc videtur GROTIUM Vol. VIII. p. 102, ubi THUCYDIDIS locum VIII. 97 interpretatur.

50) p. 507. 51) p. 52 sqq. 52) p. 44.

53) *γράφεσθαι μὲν ἄν τίς τινα τῶν ὑπαρχόντων νόμων μὴ καλῶς ἔχειν ἡγῆται.* *Leptin.* p. 486. § 96. Eoque pertinet *Timocrat.* p. 710. § 32. *ἐαν τις εἰφέρῃ (νόμον ἐναντίον), γράφεσθαι κελεύει.*

suspensum relinquere [54]. Ex ipso DEMOSTHENE, nisi vehementer fallor, coniiciendum est γραφὴν παρανόμων in novae legis latorem, post perlatam demum legem in Nomothetis, institui solitam fuisse. Primum quum in *Timocratea* [55], enumeratis iis, quibus fungi eum oportere lex iuberet, addat, »si quis istorum »unum praetermiserit, τῷ βουλομένῳ δίδωσι γράφεσθαι." Sed maxime declaratur hoc altero eiusdem orationis loco [56]. Lex, inquit, ista postulat, tum ut legum concordia servaretur, praeterea ut vos legum custodes constitueret: noverat enim, ὅτι τὰς ἄλλας ἃς γέγραφεν αὐτῶν φυλακὰς ἔςι πολλαχῇ διακρούσασθαι· Synegoris, iure creatis, possit quis persuadere ut taceant: iubetur sane novae legis lator, ut eam ante legendam et cognoscendam proponat ad Eponymorum statuas; sed fieri posset, forte fortuna, ut fugiat eos, qui contra dixissent si ante animadvertissent [57], legant autem alii, qui nihil curent: liberum sane cuique est γραφὴν παρανόμων instituere; sed si quis aggressorem avertat, ἡ πόλις παρακέκρουςαι. Et huius perfecti temporis haec vis est, ut non dicatur dolo circumveniri rem publicam, sed errorem quem forte commiserit, manere nec postea corrigi, quod fieri poterat si quis γραφὴν παρανόμων instituisset et persecutus esset. Itaque, inquit, una quae iusta et firma sit legum custodia penes vos est, quibus nemo persuadere possit ut in optando deteriorem legem meliori anteferatis. Scilicet minus liberum fuisset Nomothetarum iudicium et integra potestas, si de γραφῇ παρανόμων pronunciare debuissent. Accedit exemplum Leptinis, qui gloriabatur, tamquam si ea commendatio esset eius legis quam de immunitatibus pertulisset, tres iam fuisse, qui eam ante Phormionem γραφῇ παρανόμων aggrederentur, sed deseruisse actionem. Nemo sanus in animum inducet, ut has actiones in Nomothetarum tribunali disceptari potuisse credat: ne διαγράφεσθαι quidem actori licitum fuisse potest, adeo ut auferretur Nomothetis illud ipsum,

---

54) Sic iudicavi quoque p. 45.
55) p. 705. § 18.
56) p. 711. § 36 sq.
57) Expressi loci sententiam, ut intelligeretur iure me expunxisse partic. μη, p. 35. quam correctionem SCHOEMANNUS sequitur p. 12. init.

cuius causa constituerentur. Sola et postrema correctio tam eorum quae Nomothetae, quam eorum quae in concione populus sanxisset, igitur et legum perlatarum, et psephismatum, erat *γραφὴ παρανόμων*, quae isto nomine appellabatur si suo periculo actor ipsum latorem legis (quod intra anni spatium fieri concedebatur) in ius vocaret, itaque causa a Thesmothetis ad Heliaeam deferretur, in qua poena reo esset aestimanda: quo modo factum esse in Timocrate videmus. Post illud intervallum, qui obtinere vellet legis perlatae abrogationem, quod putaret *συμφέρειν τῇ πόλει λελύσθαι τὸν νόμον* [58], ipsum novae legis auctorem esse oportebat, ita ut veterem legem accusaret (*γράφεσθαι τὸν νόμον*), itaque potius *νόμον τιθέναι*, quam *παρανόμων γράφεσθαί τινα* dicendus erat: quae causa fuit Phormioni et DEMOSTHENI *πρὸς Λεπτίνην*.

Sic occurrimus iis quae GROTIUS in aliam sententiam pronunciavit [59]; quem hoc quoque mihi concessurum arbitror, *γραφήν* illam non nisi post factam novae legis lationem potuisse, quae ipsa non ante, sed in ipsis Nomothetis demum locum habebat, sicut et ratio suadet, et manifesto consequitur e *Timocratea* [60].

THUCYDIDIS locum, quem initio nostrae disputationis posueramus, tractat GROTIUS ubi ad sublatos Quadringentos pervenit [61]. Rectissime demonstrat, istos, quos THUCYDIDES commemoret Nomothetas, nullo modo eiusdem generis fuisse, cuius ante *ξυγγραφεῖς* fuissent [62], sed indicari eos, quos e DEMOSTHENE Nomothetas nossemus. Nec tamen negligendum est sic loqui THUCYDIDEM, *νομοθέτας ἐψηφίσαντο*· quo significari opinor non tum primum decretum esse novas, quae fortasse latae essent, leges in Nomothetarum tribunali disceptandas esse (quod proprie *καθίζειν νομοθέτας* dicebatur), sed tum in concione, sicut alia quae

---

58) *Leptin.* init.

59) Vol. V. p. 509. »Such indictment against the author of a law or of a »decree might be preferred either at some stage prior to its final enactment — »as after its acceptance.

60) p. 707. § 25. *οὐδ' ἐν ταύτῃ (τρίτῃ ἐκκλησίᾳ) τιθέναι δεδώκασιν*· ita ut ipsum *εἰσφέρειν* iure demum apud Nomothetas fieret per Thesmothetas, qui hanc auctoris *γραφήν* introducerent.

61) Vol. VIII. p. 102 sq. THUCYD. VIII. 97.

62) THUCYD. VIII. 67.

ἐς πολιτείαν spectarent, hoc quoque novum institutum fuisse acceptum, ut in veteribus legibus recognoscendis novisque iubendis, extrema et summa potestas concederetur istiusmodi δικαςῶν conventui, identidem auctoritate populi constituendo.

Invitus discedo a GROTIO, cuius librum nemo nisi summa cum delectatione usurpabit: nihil enim spernens grammaticam interpretationem tanta sagacitate in rerum ipsarum et consiliorum interpretatione versatur, ut longe superet nonnullos, qui sibi in hoc rerum Atticarum studio regnare fortasse videntur.

De SCHOEMANNO et pauca dicere lubet, et tamen satis multa quibus obtundam inficetam hominis asperitatem.

Orditur praeclaras suas *Animadversiones* ab iterata demonstratione Nomothetarum institutum a Solone profectum esse; de quo si quis dubitet, huic opponit spatium XXXVI annorum ante quos iam idem contra WOLFIUM probaverit, additque se »nuper etiam contra Georgium Grotium defendisse, qui Nomo»thetas Pericleo demum aevo institutos esse autumaverit." Hanc GROTII suspicionem triplici argumento, quale ab absurdo appellare solemus, conficere conatur. »Si hoc, inquit, verum es»set, Solon de ferendis abrogandisque legibus aut nihil omnino »statuisse, aut rei talis tantaeque arbitrium multitudinis suffra»giis permisisse, aut denique ad aliam quandam in re publica »potestatem detulisse dicendus foret;" quae omnia pariter improbabilia esse. De tribus his postremum tantum incredibile videtur: duo priora neque ullo modo disiungi necesse erat, neque aliena ab iis quae de Solonis legislatione tradita nobis sunt. Probabilem esse HERODOTI [63] narrationem ipse confitetur SCHOEMANNUS, »iureiurando Athenienses a Solone obstrictos esse, ut »per decennium leges eius observarent." Omisi unum SCHOEMANNI verbum: scripsit enim »leges eius immutatas observa»rent;" non quo liberarem eius orationem perverso usu verbi *immutare*, (voluit autem *non mutatas*), sed ut ostenderem hominem, qui sua se probare gloriatur »veterum testimoniis fretum et »rationibus ex ipsa re ductis," parum recte vel veterum testimonia interpretari, vel rem ipsam perspicere. Quo enim con-

63) I. 29.

silio Solon decennii peregrinationem suscepit? Ne, inquit HERODOTUS, ullam earum legum quas ipse iussisset tollere cogeretur. Neque enim populus leges, quas Solon rogasset, iusserat, sed populi mandato ipse Solon leges scripserat[64]. In qua rerum conditione, et in hoc stabilitatis vel consilio vel spe, quid magis incongruum est quam suspicari Solonem ipsum instituti cuiuscumque auctorem fuisse, quo legum novandarum et potestatem populo reddidisset, et facile iter indicavisset? Ea quoque quae post secuta sunt evincunt, opinor, nullo tunc eiusmodi instituto usos esse Athenienses; siquidem redux ab itinere Solon factionibus quidem flagrantem patriam deprehendit, sed hucusque legibus parentem[65], et in ipsa Pisistratidarum tyrannide civitas leges, quas semel acceperat, servabat[66]. Et profecto, si illo Nomothetarum instituto usi essent Athenienses vel inde a Clisthenis disciplina, quae liberius agendi facultatem populo permiserat, non tanta turba legum discordantium crevisset[67], qualem corrigere demum ii aggressi sunt, quod Nicomachi quoque historia confirmat, qui sublatis Quadringentis aliquanto firmius et prudentius democratiam instaurarunt. Itaque, si, quum prius sine animadversione DEMOSTHENEM secutus essem istarum auctoritatem legum Soloni tribuentem[68], post demum illud ipsum dedita opera explorabam et abiiciendum iudicabam[69]. Quam temere saepe Oratores Solonis nomine abusi sint, ut legibus nonnullis vetustam auctoritatem conciliarent, non attinet nunc SCHOEMANNO in memoriam revocare. Hoc autem non alienum est a nostra disputatione, nonnumquam mentem tantum et consilium prudentissimi legislatoris indicari, quo ea, quae diu post certum modum acceperunt commendarentur: eoque pertinere ipsam illam legum δοκιμασίαν suspicor, siquidem hoc institutum consequens esse demonstrat DEMOSTHENES[70] δοκι-

---

64) Ibid. *ἵνα δὴ μή τινα τῶν νόμων ἀναγκασθῇ λῦσαι τῶν ἔθετο.* Et *Ἀθηναίοισι νόμους κελεύσασι ποιήσας.*

65) PLUTARCH. *Solon* p. 94. F.

66) THUCYD. VI. 54. *τὰ δὲ ἄλλα αὐτὴ ἡ πόλις τοῖς πρὶν κειμένοις νόμοις ἐχρῆτο.*

67) DEMOSTH. *Leptin.* p. 484. § 91 sq.

68) p. 18 et 24. 69) p. 31 sq.

70) *Leptin.* p. 484. § 90.

μασίᾳ τῶν θεσμοθετῶν. Sed plane id quod volo, illustratur alio exemplo, in eadem oratione [71]. Non mihi videtur, inquit, Leptines vel legisse Solonis leges, vel intelligere. Si enim Solon lege sua unicuique liberam potestatem tribuit sua dandi cui velit nisi legitimos liberos habeat, utilissimo sane consilio certamen bene merendi excitans, tu contra fers ne populo de suis quidquam cuiquam det, quomodo quis te vel legisse, vel intelligere Solonis leges dicet? Tum aliam insignem discrepantiam exponit, et ad extremum quaerit, *ἆρ' οὐ πολὺ τοῦ Σόλωνος ἀποςατεῖς τῇ γνώμῃ;* Quemadmodum igitur ista adversari dicebantur legibus Solonis, sic aliae leges, quamvis multo post latae, Solonis esse habebantur, quod non discederent a Soloneae legislationis ingenio.

In illa *ἐπιχειροτονίᾳ νόμων*, quam nunc in *Timocratea* legimus, notaveram nonnulla [72], quare mihi ea certe Solonis aetate multo recentior videretur, et, ut alia praeteream, Prytanias in quas Senatus et Senatorius annus divideretur non nisi inde a Clisthenis aetate commemorari potuisse dixeram: qua in causa nunc consentientem habeo GROTIUM [73]. Quid ad hoc SCHOEMANNUS? »Quasi vero constet prytanias nullas esse potuisse ante »quam decem tribus a Clisthene factae et Senatus quingento»rum ex quinquagenis tributim compositus fuerat. Ea opinio »quam vana sit vel hinc intelligi potest, quod sub finem belli »Peloponnesiaci, quum Senatus ad antiquum illum numerum »quadringentorum, qui Solonis aetate fuit, revocatus esset, ta»men etiam hi quadringenti in prytanias distribuebantur, quem»admodum Thucydides refert VIII. 70. Quidni ergo etiam »Solonis illum Senatum in prytanias distributum fuisse creda»mus, sive hae quattuor fuerint, pro tribuum numero, sive plu»res, veluti octo, ut prytanes essent aut centeni, aut quinquageni, »qui vicissim suo quique tempore ceteris praesiderent? Sed hoc »levius est." Imo non tantum levissimum, sed plane nihili, quamquam nunc video GROTIUM quoque tali sententiae adstipulari [74]. Aliquanto diligentius THUCYDIDES erat interpretandus, a

---

71) *Leptin.* p. 488. § 102 sqq. 72) p. 29.
73) Vol. V. p. 506.
74) Vol. VIII. p. 59. Quum Quadringenti, inquit, Curiam occupavissent,

quo quum accipiamus quo modo constituti fuerint illi Quadringenti [75], qui *αὐτοκράτορες* futuri essent, nempe primum ut quinque creati Proedri centum deligerent, quorum rursus singuli tres deligerent, manifestum est nullam tribuum rationem fuisse habitam; quum praesertim satis ridiculum fuisset in tam odiosa dominatione, quae populum libertate exuebat [76], simulare formas et appellationes sublatae democratiae. Tum in illo THUCYDIDIS loco (*πρυτάνεις τε σφῶν αὐτῶν ἀπεκλήρουν*) tenendum erat, *ἀποκληροῦσθαι* eos, qui e pluribus ad quodcumque tandem negotium sorte designantur, neque umquam tum dici, quum certus numerus sorte in partes distribuitur, quod si voluisset THUCYDIDES, dixisset *ἐς πρυτανείας ἑαυτοὺς διήρουν*, aut *κατένεμον.* Sed nihil aliud voluerunt Quadringenti, quam ut quae quotidiana essent ea certo paucorum collegio permitterentur, quum ipsi summam rerum omnium potestatem retinerent: et prytanum appellatio, per totam Graeciam pervulgata, minime omnium revocabat eam, quae ante fuerat, tribuum aequabilitatem aut decem, quae se ordine exciperent, prytanias: postremum, sicut ipsi Quadringenti perpetui futuri erant, Prytanes quoque istos perpetuos designaverunt.

DEMOSTHENIS locum in *Leptinea* [77], ex quo hoc conficit SCHOEMANNUS »persaepe novae legis ferendae potestatem non datam »esse," supra [78] melius, opinor, interpretatus sum. Quod autem dissenseram ab eo [79], quum dixisset novam legem iam in prima concione commendari potuisse, et inopportunam (quod ipsi mutare libuit in *importunam*) futuram fuisse eiusmodi disceptationem pronunciaveram, quod tum non nisi haec *διαχειροτονία* institueretur, utrum leges *οἱ κείμενοι* viderentur *ἀρκεῖν*, an *μὴ ἀρκεῖν*, succenset mihi quidem, sed nullas opponit rationes. Quid enim hoc est quod exclamat »absurdum fuisse »rem tanti momenti statim multitudinis imperitae arbitrio per-

---

they divided themselves by lot into separate Prytanies (probably ten in number, consisting of forty members each, like the former Senate of Five Hundred, in order that the distribution of the year to which the people were accustomed might not be disturbed).

75) VIII. 67. 76) Ibid. 68 fin. 77) p. 484. § 91.
78) p. 210. 79) p. 34 sq.

»mitti?" Nihil sane nobis traditum de modo, quem, qui huic concioni praeessent, in illa διαχειροτονίᾳ servare soliti sint, ita ut ipse WESTERMANNUS [80] et universe SCHOEMANNO adstipuletur, et ingeniose fingat eiusmodi quid, quod fortasse multis probetur, mihi tamen non satisfacit. Primum non agnosco rem illam tanti momenti habendam esse. In quamcumque enim partem decrevisset populus, si nova quadam lege commendata disceptatio instituta fuisset, eam potestatem sibi sumsisset, cuius ad Nomothetas transferendae causa totum illud institutum νομοθεσίας inventum erat, itaque praecisa fuisset libera facultas novae legis ferendae, quam tamen τῷ βουλομένῳ concedi voluerunt. Scilicet veterem legem reprehendere, et novam excogitare et ferre non erat multorum hominum, sed vel singulorum, vel paucissimorum: sed istius suscepti temeritati sic occurrebatur, ut ab eo, qui novam legem ferre in animo haberet, postularetur primum ut in prima illa concione declararet videri sibi *μὴ ἀρκεῖν τοὺς νόμους*, tum ut suam legem omnibus cognoscendam proponeret, deinde ut eam per scribam in tertia concione recitandam traderet, vere autem *τιθέναι νόμον* diceretur demum apud Nomothetas. Quid inde necessario conficiendum est? Hoc, ut mihi videtur; novam legem post primam demum concionem cognosci potuisse, itaque non fuisse hoc in illa concione disceptandi argumentum; siquidem non nisi hoc quaerebatur, *πότερον εἰσοιστέος ἐστὶ νόμος καινὸς ἢ δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ κείμενοι·* ita ut a futuro novae legis latore hoc unum demonstrari oporteret, veterem legem *μὴ ἐπιτήδειον* esse, novam *εἰσφέρειν* per *χειροτονίαν* demum ei concederetur.

In illa *ἐπιχειροτονίᾳ νόμων*, verba *κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους*, quandoquidem absurdum quid afferebant si diceretur fieri illam *ἐπιχειροτονίαν secundum leges quae essent* (quae absurditas non fugit WESTERMANNUM [81]), dixeram hoc indicare, attingendas esse leges quae perlatae essent, putans hanc esse eorum verborum sententiam, ut ea disquisitio institueretur sigillatim et ordine de singulis legibus. Tanto facilius fero SCHOEMANNI hac in re castigationem, quod constat nunc totum

80) p. 16 sqq. 81) p. 19.

istud documentum abiiciendum esse. Gravior mihi cum eo controversia est de recitatione novae legis quam quis ferre in animo haberet. Contenderam [82] recitari illam legem per scribam in tertia demum concione debuisse: ipse vult recitari oportuisse »in omnibus quae interim haberentur comitiis" (nempe quae inter primam et tertiam haberentur) »scilicet quo me»lius repetita identidem auditione, ab omnibus cognosceretur, »id quod minus fortasse futurum erat, si ad legendum tantum »proponeretur." Statim occurrit difficile esse plures conciones probare, si inter primam et tertiam non nisi una interesse potuerit: *συγκλήτους* enim *ἐκκλησίας* nemo huc advocabit. Tum quaeri potest, quo consilio illa maturata recitatio suscepta fuisset? Eam enim, quae in tertia concione fiebat, statim sequebatur designatio Nomothetarum. Igitur duobus locis in *Timocratea* [83] omittuntur ab Oratore illae recitationes, quas tamen defendi existimat SCHOEMANNUS verbis, quae in *Leptinea* [84] reperiuntur, maximeque urget hoc, quod istic et *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις*, et *ἀκούσας πολλάκις* dicitur: tum illis *Timocrateae* locis, quos modo indicabam, omissam esse mentionem istarum recitationum. Verum, si absonum est verba *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις*, sicut licebat, interpretari ut sit *in quavis concione*, necesse est, opinor, probare hoc, ut intelligatur eam recitationem fieri tertiis illis concionibus, quae quotannis isti rei destinatae essent: neque, ut vere dicam, ea mihi placet computatio quam init WESTERMANNUS p. 20. Ne *πολλάκις* quidem de auditione iterata accipere necesse est, nec diceretur si bis tantum, in secunda et in tertia concione, audire potuissent; iunguntur autem ista participia sic, ut dicatur, *ut vestrum unusquisque quum audivisset et saepe et per otium consideravisset;* quam sanam et reliquis omnibus testimoniis convenientem sententiam assequemur interposito *καί* ante *πολλάκις* [85].

Indignatur paene SCHOEMANNUS, quod contenderam [86], contra

---

82) p. 35. 83) p. 705. § 18. p. 711. § 36.

84) p. 485. § 94. *τοῦτον (τὸν γραμματέα) δ᾽ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀναγιγνώσκειν, ἵν᾽ ἕκαστος ὑμῶν ἀκούσας καὶ κατὰ σχολὴν σκεψάμενος — ταῦτα νομοθετῇ.*

85) Addatur *Timocrat.* p. 707 sq. § 25. 86) p. 36 sqq.

eius sententiam, nullam requiri Senatus auctoritatem in novae legis latione quam quis suscepisset, et demonstrare conatur servari illam libertatem, etiamsi a Senatus suffragiis suspensa fuisset. Vellem exemplum attulisset cuiuscumque demum actionis, ex earum genere quae τῷ βουλομένῳ Ἀθηναίων οἷς ἔξεστι conceduntur, quae Senatus προβούλευμα requireret. Praeterea, quum toties Orator et tam diligenter tum in *Leptinea*, tum in *Timocratea* conditiones sanctionesque commemoret, quibus adstricta esset ea legum ferendarum facultas, nusquam tamen ullam deprehendimus Senatus mentionem, ne illo quidem loco [87], ubi enumerat Orator quae essent novarum legum ferendarum φυλακαί. Tamen »rem omnium planissimam" a me non perspectam esse affirmat SCHOEMANNUS, additque haec: »Se»natus novam legem δοκιμάζειν dicitur, quum decernit, utrum »agi de ea cum populo liceat nec ne." Primum non agebatur cum populo de nova lege, sed totius rei potestas committebatur Nomothetis. Tum quo auctore et quando illam scilicet δοκιμασίαν suscepisset Senatus? Quae enim iure in Senatu δοκιμασίαι fiebant, oriebantur si quis ex eorum numero κατήγορος exstitisset eius, verbi causa, quem sors Senatorem destinavisset. Quid autem quisquam potuisset κατηγορεῖν in eo negotio, quod quis in tertia demum concione publice profiteretur se aggredi, quum adeo non nisi apud Nomothetas vere diceretur νόμον τιθέναι, sicut aliquoties inculcat DEMOSTHENES? An fortasse, si non δοκιμασία, tamen auctoritas quaedam et assensio Senatus postulabatur? Eiusmodi quid peculiaribus legibus diserte sanciebatur, veluti, ut uno exemplo e *Timocratea* defungamur [88], in restitutione τῶν ἀτίμων, et in remissione publicorum debitorum: et recte: nam nihil istud pertinebat ad tribunalia, sed summa potestas populi concioni relinquebatur.

Notaveram [89] in POLLUCE perperam dici τοὺς νέους νόμους, pro καινούς. Non tam aegre hoc in Lexicographo ferendum esse censet SCHOEMANNUS, cui credibile videtur POLLUCEM ista ARISTOTELI adeo debuisse, qui »non lectissimis verbis utatur."

---

87) *Timocrat.* p. 711. § 36 sq.
88) p. 715. §. 47. 89) p. 37.

Mirum, si fugisset ARISTOTELEM νέους νόμους esse tempore recentiores: minus mirandum SCHOEMANNUM ignorasse ARISTOTELEM ipsum appellare καινοὺς νόμους [90].

Postremo rem confici arbitratur SCHOEMANNUS testimonio, ut appellat, XENOPHONTIS, cuius haec verba sunt [91], τὴν βουλὴν πολλὰ βουλεύεσθαι περὶ νόμων θέσεως. Non arguam nunc praestantissimum libellum non esse XENOPHONTIS, neque complura in eo deprehendi non diligenter enunciata, de quo genere acute BOECKHIUS nonnulla indicavit [92], sed parum accurate eum sic loqui, quasi istarum rerum, quas commemorat, deliberatio non populi concionem, sed Senatum tantum attingeret; tum eadem incuria δίκας καὶ γραφὰς καὶ εὐθύνας ἐκδικάζειν Senatui et populo quum tribueret, quod erat tribunalium, tanto minus premendum esse id, quod istic de Senatu tradere videatur: ne opus quidem est ut illam locutionem excusemus eo, quod fortasse saepe factum est, quodque in *Timocratea* dicitur συννομοθετεῖν τὴν βουλήν.

Sequitur aliud crimen quo SCHOEMANNUS utitur, sed plane fictum. Dixeram [93] recitari novam legem per scribam in tertia concione debuisse (quod sane satis aliunde constabat), et exempli causa, excitaveram initium eius legis, quam Timocrates tulisse arguebatur, tantum ut ex hac sollemni formula cum diei significatione, addito in primis nomine latoris (Τιμοκράτης εἶπε) intelligeretur totum negotium suscipi eius periculo, qui ferret: in Timocratis illa quidem lege, qui nullius non concionis auctoritatem neglexisset, ne cogitari quidem potuit de tertia concione.

Extrema quibus exsultat SCHOEMANNUS, pertinent ad ὑπωμοσίαν et ad γραφὴν παρανόμων. Ex ipsa rei natura consequens esse mihi videbatur [94], fieri non potuisse ut ὑπωμοσία in novae legis latorem institueretur, neque apud Nomothetas, neque in tertia concione: etenim et haec concio excludebat istiusmodi denunciationem, quippe post demum, apud Nomothetas, lex ferri censebatur, nec in Nomothetarum tribunali ὁ βουλόμενος

---

90) *Politic.* II. 8 fin. 91) *Rep. Ath.* III. 2.
92) *Oecon. Civ.* I. p. 432. not. e. Edit. 2ª.
93) p. 41. 94) p. 44 sq.

quidquam afferre potuit, siquidem istic non οἱ βουλόμενοι, sed tantum οἱ ἀποκεκληρωμένοι, οἱ ὀμωμόκεσαν, aderant. Sensit tamen SCHOEMANNUS »raro aut numquam esse factum," rationemque addit, quam si ipse aliquanto diligentius considerasset, inane totum istud commentum ὑπωμοσίας reperisset. Neque in praeclara illa disputatione intellexisse videtur, quid esset ἀφανίζειν καὶ ἐξαλείφειν τὴν νομοθεσίαν· non dici hoc de eo qui γραφῇ παρανόμων uteretur, sed de eo qui totum novarum legum ferendarum et explorandarum disciplinam impediret et tolleret.

Si inter omnes igitur convenit, sine ullius scriptae legis auctoritate, eum qui tale argumentum rite explicare profiteatur, aliosque docere, afferre oportere tum diligentem monumentorum interpretationem, tum iustam aestimationem eorum quae, etiamsi non diserte tradantur, fieri tamen debuisse necesse est, ἐδίδαξα ὑμᾶς ὅτι τούτων οὐδ' ὁτιοῦν ἐποίησεν οὑτοσί [95] SCHOEMANNUS: itaque eum ἀποδοκιμασθέντα dimittamus.

Sed audiamus KAYSERUM, qui in Annalibus Heidelbergensibus a. 1853. N°. 24 et 25 ita de illo Quarto Volumine *Scholicorum Hypomnematum* retulit, ut insignem eius humanitatem et animi moderationem satis laudare nequeam. Neque tamen pauca sunt in quibus a me dissentiat, quorum nunc non nisi ea attingamus, quae ad eandem controversiam de Nomothetis pertinent.

Dixeram [96] στήλας, quae κύρβεσιν opponerentur apud LYSIAM [97], fuisse Nicomachi, qui leges in illas transcriberet. Iure reprehendor a KAYSERO. Nempe non plane, id quod volui, enunciavi, quum sic mihi videretur, Nicomachum, neglectis iis quae essent in vetustis κύρβεσιν, ἀναγραφήν tantum adhibuisse στήλαις, id est iis legibus quae in στήλαις descriptae exstarent. Admonitus porro amplector nunc TAYLORI coniecturam in alio LYSIAE loco [98], ut legatur ἐκ τῶν κύρβεων καὶ τῶν στηλῶν. Sed nondum concedo ibidem verba κατὰ τὰς συγγραφὰς intelligenda

---

95) DEMOSTH. *Timocrat.* p. 734. § 108.
96) p. 10.
97) *Nicomach.* § 21. κατὰ τὰς στήλας, ἃς οὗτος ἀνέγραψε.
98) ibid. § 17.

esse de pactis, ut KAYSERUS putat, quae inirentur cum iis, qui sacrificia facienda conducerent. Primum, ex ipsa rei natura, ut istiusmodi pacta perpetua fuerint, fieri non potest; sed identidem in re praesenti iniebantur non sine parsimoniae consilio: tum appellatae, suspicor, sunt *μισθώσεις*, unde locutio est *ἀπὸ μισθωμάτων θύειν*· qua de re nunc non attinet explicare, in primis post luculentam disputationem BOECKHII[99].

In Tisameni psephismate apud ANDOCIDEM[100], cuius documenti fidem elevare conatus sum, dixeram[101] corrigendum esse *οἱ δέκα ᾑρημένοι ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγραφεῖς*. SLUITERI correctionem[102] eandem esse quum dicit KAYSERUS, non diligentissime librum illum usurpavit: corrigebat SLUITERUS *οἱ πεντήκοντα* (nisi quis malit *οἱ δέκα*), sed retinet *νομοθέται* et *ἀναγράφοντες*, quod postremum, si participium servandum sit, mutare oportebat in *ἀναγράψαντες*.

Alia, quae notavit KAYSERUS, sunt fere eadem, quae supra retractavi, partim coniuncta cum illo Tisameni psephismate, cuius auctoritatem nunc, ut spero, nemo agnoscet, partim ex aliorum doctorum virorum opinionibus. Veluti in tertia concione, circa novam legem quae ferretur, nihil agi solitum fuisse praeter recitationem qua scriba fungeretur, ipsum populum de lege nihil decrevisse, tum non requisitum fuisse in eo negotio Senatus *προβούλευμα*, satis, ut mihi videtur, demonstravi. Sed minus recte orationem meam interpretatur KAYSERUS, quum putat dixisse me[103]: »Nomothetas solitos esse convenire »in idem aedificium, in quod Senatus conveniret." Verba mea haec erant: »haud temere quis suspicetur de more hoc fuisse, »ut Senatui locus esset in collegio Nomothetarum." Ne de *γραφῇ* quidem *παρανόμων*, quam KAYSERUS Nomothetarum tribunali vindicat, quidquam habeo quod addam iis, quae supra a me dicta sunt.

Animi laxandi causa adiiciam nonnulla, quae in *Timocratea* mihi corrigenda esse videntur.

Pag. 700. § 1. *οὐκ ἀποτρέψομαι.* Non spernendum erat al-

---

99) *Oecon. Civ.* I. p. 296. not. a. 100) *Myster.* § 83.
101) p. 15. 102) *Lect. Andocid.* p. 134. 103) p. 39.

terum, quod in varietate commemoratur, οὐκ ἀποκρύψομαι. Conf. p. 732. § 104, ubi prudentius optavit BEKKERUS, et p. 762. § 200.

Pag. 704. § 13. Quum in concione Euctemon μήνυσιν explicuisset, qua indicaretur pecuniam publicam esse penes trierarchos, tres legati magno clamore et convicio utentes ἀπέλυον τοὺς τριηράρχους, ἔχειν ὡμολόγουν παρ' ἑαυτοῖς, ζητεῖν ἠξίουν τὰ χρήματα. Quomodo postulare potuerant isti ut illa pecunia quaereretur, si penes se esse eam confiterentur? Corrigendum puto, ἃ ζητεῖν ἠξιοῦτε χρ.

Pag. 705. § 16. Fraudis arguit non unum Timocratem, sed totum istorum sodalitium; ἦν δὲ ταῦτα ἐνέδρα μετὰ χλευασίας καὶ κατασκευασμὸς ὑπὲρ τοῦ λαθεῖν τόνδε τὸν νόμον τεθέντα. Requiro τιθέντας.

Pag. 710. § 32. ὃς διαρρήδην οὐκ ἐᾷ νόμον οὐδένα ἐναντίον εἰσφέρειν. Post οὐδένα excidisse credo, quod omitti non potest, τοῖς ὑπάρχουσιν. Conf. § 34.

Pag. 715. § 48. καὶ τότε τοὺς χρόνους ἀναμείναντα τοὺς ἐκ τῶν νόμων. Haec sic dicuntur, quasi ipsum γράφειν καὶ νομοθετεῖν praecederet, sequeretur τὸ τοὺς χρόνους ἀναμένειν. Corrigendum est, καὶ τοῦτο.

Pag. 716. § 49. νῦν δὲ τῷ λάθρᾳ καὶ ταχὺ καὶ παρὰ τοὺς νόμους ἐμβαλεῖν τὸν νόμον εἰς τοὺς νόμους καὶ μὴ θεῖναι πᾶσαν ἀφήρησαι σαυτοῦ τὴν συγγνώμην. Nihil per se reprehendendum, quod dicitur παρὰ τοὺς νόμους. Sed quum alia de causa, tum propter ea quae antecedunt, legendum suspicor παρὰ τοὺς χρόνους. Praestabit praeterea ἐκθεῖναι.

Pag. 718. § 58. τίνος οὖν ἕνεκα τὸν λύσοντα ταῦτα νόμου θέσθαι φήσομεν; Altera lectio est, λύσαντα. Requiritur, credo, λύοντα.

Pag. 721. § 64. Possuntne, inquit, duo magis esse contraria inter se, quam δεδέσθαι ἕως ἂν ἐκτίσωσι τοὺς ἁλόντας, et καθιστάναι τοὺς αὐτοὺς τούτους ἐγγυητὰς ἀλλὰ μὴ δεῖν. Fieri non potest ut ἐγγυητὰς καθιστάναι et δεῖν sint eorundem. Legatur καθιστάναι ἐᾶν τ. αὐτοὺς κτέ. Sic ἐᾶν usurpatur p. 701. § 5.

Pag. 722. § 69. Exponit quid in omni lege requiratur, et post alia addit: πρὸς δὲ τούτοις μηδενὶ τῶν ἀδικούντων φαίνεσθαι μηδεμίαν διδόντα ῥᾳστώνην. εἰ γὰρ δημοτικόν τις ὑπείληφε τὸ

πρᾴους εἶναι τοὺς νόμους, τίσι τούτοις προσεξεταζέτω. Alienissimum est προσεξετάζειν, neque τούτοις sanum est. Legendum, τίσι τοῦτο προσήκει ἐξεταζέτω. Sic in *Midiana* [104], οὐκ ἔςιν οὐδαμόθεν σοι προσήκων ἔλεος.

Pag. 723. § 71. λαβὲ δ' αὐτοῖς τὴν γραφὴν αὐτήν. Vellem mihi explicaretur quinam essent illi αὐτοί. Quoniam supra eam legem iam recitari iusserat, nunc dicit λαβὲ δ' αὖθις.

Pag. 726. § 80. ἐνθυμεῖσθ' ἀπὸ τοῦ δικαςηρίου καὶ τῆς καταγνώσεως οἷ διεπήδησεν. ἐπὶ τὸν δῆμον, ἐκκλέπτων τὸν ἠδικηκότα καὶ τὴν παράδοσιν αὐτοῦ τὴν τοῖς ἕνδεκα. Sic distinxit BEKKERUS; qui non vidit ἐπὶ τὸν δῆμον esse interpretamentum istius οἷ, ut abiiciendum sit, et reliqua continuanda.

Pag. 733. § 106. Non spernendum erat correctionis indicium in aliquo libro, praestatque legere τοῖς — πονηροῖς. Conf. p. 735. § 113.

Pag. 736. § 114. εἴ τις — τῶν σκευῶν τι τῶν ἐκ τῶν γυμνασίων ὑφέλοιτο ἢ ἐκ τῶν λιμένων. Minus apta videtur *portuum* mentio. Si corrigimus ἐκ τῶν βαλανείων, habebimus fures balnearios, de quibus viri docti annotaverunt ad THEOPHRASTI *Charact.* VIII.

Pag. 740. § 127. Propter praecedentes aoristos postulatur ἠδίκησεν, prae librorum lectione ἠδίκει· nam hoc quoque de uno quodam facto dictum videtur.

Pag. 745. § 144. Satis constans apud DEMOSTHENEM usus postulat ut legatur, ᾧ ἀκούω μέλλειν παραδείγματι χρήσεσθαι τουτονί, prae χρῆσθαι.

Pag. 751. § 165. τί οἴεσθε, ὁπότ' ἄνθρωπος πένης — μὴ μόνον εἰς τὴν ἀγορὰν φοβοῖτ' ἐμβαλεῖν, ἀλλὰ μηδ' οἴκοι μένειν ἀσφαλὲς ἡγοῖτο. Requiritur ἐμβάλλειν.

Pag. 752. § 168. μὴ δυνάμενον τὰ ἑαυτοῦ θεῖναι. Sermo est de solvenda debita εἰσφορᾷ, in quo sollemne est καταθεῖναι.

Pag. 753. § 173. ἐτῶν ὄντων πλειόνων ἢ τριάκοντα ἀφ' οὗ ὅγε ἕτερος ὑμῶν πολιτεύεται. Quoniam non alterum, sed utrumque arguit, legendum erit ἀφ' οὗ ἑκάτερος ὑμῶν. Siculi mox dicitur ὑμῶν οὐδέτερος.

---

104) p. 577. § 196.

Pag. 754. § 175. *τῶν δὲ ἀδικουμένων, ὅταν ποθ' ὑπ' αὐτοῖς λάβωσι τὸν ἠδικηκότα, τότε τιμωρήσασθαι.* Requiritur, *ὅταν ποτ' ἐφ' αὐτοῖς λ.*, *quum in sua potestate tenuerint.* Eademque praepositio restituenda est paulo post, § 176, pro *ἐν οἷς.*

Pag. 756. § 180. Molestum abiiciendum est emblema, *τοιαῦτα γὰρ ἦν τὰ τῶν ςεφάνων ἐπιγράμματα*, eodemque nomine mox § 181. *ἐπὶ τῶν φιαλῶν.*

Pag. 759. § 189. Delenda certe verba sunt *τὴν τῶν χρημάτων.*

Pag. 760. § 193. Ne hoc quidem ferendum, quod dicitur *τοὺς νόμους οὐκ ἐκείνους — πρᾴους ποιεῖ·* et delendum *τοὺς νόμους.*

Ibid. § 194. Pleraque, inquit, omittam: *κεφάλαιον δ' ὑμῖν ὃ μνημονεύσετε ἐρῶ.* Quidni e libris servatur *ὧν μνημ.*, pro *ὅ?*

Pag. 761. § 196. *οὔτε γὰρ τὸ τὰ τούτων πολλοστῷ χρόνῳ μόλις ἄκοντας, ἐν τρισὶν ἐξελεγχθέντας δικαςηρίοις, καταπιθέναι, τοῦθ' ἡγήσω τὸ δεινὰ πάσχειν εἶναι.* Quum postremum in praedicato dicatur, alienum est *τό* ante *δεινά*, sed mutandum in *τότε.*

Pag. 762. § 198. *πολλῷ γὰρ δήπου σχετλιώτερα ἐπάσχεθ' ὑμεῖς, καὶ πολὺ μᾶλλον ἂν εἰκότως ἠλέεις τούτους, οἵ.* — Iure in his haesisse mihi videtur REISKIUS, quae nullo modo defendi possunt exemplis repentini transitus, quibus SCHAEFERUS utitur. Priora ista non nisi per ironiam explicari possunt: sed primum alienissima ab huius loci ingenio est ironia, tum non usus esset Orator verbo *σχετλιώτερα.* Sana sententia restituetur, si pro *ἐπάσχεθ'* legemus *ἐποιεῖθ'.*

Ibid. § 199. *προῖκα γάρ, οὐδὲν ὠφελούμενος, ὑμῖν Τιμοκράτης ἀπεχθάνεται.* Haec plane absona sunt, et perpetuae Oratoris sententiae contraria. Exciderunt ea, quibus indicaretur ironia, legendumque *προῖκα γε, οὐ γάρ;* sicuti supra § 181. et alibi, tum delenda *οὐδὲν ὠφελούμενος.*

Pag. 764. § 207. Corrigendum videtur et *καταλύσειν* et *ἀπολεῖσθαι.*

Pag. 765. § 211. Timocrates, inquit, *τὸν νόμον εἰσενήνοχε οὐχ ἥκισθ' ὑπὲρ αὐτοῦ· πολλὰ γὰρ ἡγεῖτο πολιτεύεσθαι παρ' ὑμῖν ἄξια δεσμοῦ.* Imo *πεπολιτεῦσθαι.*

Καὶ τούτων πάντων, ut verba DEMOSTHENIS usurpem [105], *οὐδέν ἐςι καινὸν οὐδ' ἡμέτερον εὕρημα, ἀλλ' ὁ παλαιὸς νόμος οὕτω κελεύει* veteres scriptores interpretari, ut ubique attendamus quid oporteat, et quid deceat, tum ut non solum in eorum oratione, sed in rerum quoque, quas tradunt, explicatione nullum fingamus soloecismum, nullum barbarismum. Quod si cui acciderit ut illam legem negligeret, (nam errare humanum est), non est boni viri et prudentis in eum *λοιδορίᾳ* uti, suamque prodere *ἀναισθησίαν*, multoque minus contrariam sententiam vel temporis diuturnitate, vel suffragiorum numero commendare. A SCHOEMANNO ita discedo, ut profitear alia nonnulla restare, in quibus ab eo dissentiam, quaeque, quoniam nihil est *κατεπεῖγον*, tum persecuturus sim, si libuerit, eoque munere animo vacuo et libero fungi potuero.

I. BAKE.

105) *Leptin.* p. 484. § 89.

FRONTO ET TACITUS.

Vir doctus in *Philologo* Gottingensi VII. p. 321. Taciti et Frontonis locos inter se perquam similes (Tacit. Hist. IV. 6. *etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur*. Front. ad M. Caes. de Eloq. I. 7. pag. 78. Nieb. *Novissimum nempe homini sapientiam colenti amiculum est gloriae cupido: id novissimum exuitur*) comparavit cum Simonidis sententia apud Plutarch. *An seni resp. ger.* p. 783 D. *πολιτεία δημοκρατικὴ καὶ νόμιμος καλὸν ἐντάφιον ἀληθῶς τὴν ἀπὸ τοῦ βίου δόξαν τῷ θανάτῳ προςτίθησι· τοῦτο γὰρ*

ἔσχατον δύεται κατὰ γᾶς,

ὥς φησι Σιμωνίδης. Et Fronto et Tacitus expresserunt decantatum Platonis dictum, de quo scriptum est apud Athen. XI. p. 507 D. *ἦν δὲ ὁ Πλάτων καὶ φιλόδοξος ὅςις ἔφησεν· Ἔσχατον τὸν τῆς δόξης χιτῶνα ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῷ ἀποδυόμεθα, ἐν διαθήκαις, ἐν ἐκκομιδαῖς, ἐν τάφοις.*

C. G. C.